

297

295

301

291

306

286

346

246

396

196

Ende

Anfang

282

inducuntur in Christi ecclesiam, et intromittunt, quos volunt,
quos nolunt, abjiciunt. Plures enim de aliis ritibus Christianos
nobiscum ingredi volentes repulerunt cum baculis et pugnis ab
ostio ecclesiae. Fateor, dum ego eos pertransirem intrando
ecclesiam, confusus in memet ipso rubore perfundebar, nec
ausus fui eos erecto vultu et oculis inspicere, prae verecundia,
quam habui: non quidem propter crucis signum, quod ueste
gerebam, sed propter eorum injustam et impiam in cruce-
signatos potestatem. Sedeabant enim ibi illi canes, tanquam
judices nostri, et nos (nemo dubitet) stultos propter crucem
Christi judicabant, quia verbum et signum crucis pereuntibus
stultitia est. 1 Corinth. 1. Sed ita divina ordinat sapientia,
ut ad locum crucis cultores crucifixi per derisores crucis in-
ducantur, quatenus per stultitiam crucis salvi fiant credentes.
Igitur cum omnes ingressi essemus, statim Saraceni valvas
ecclesiae in dorso nostro repente retraxerunt, et clauerunt
repagulis et seris obturantes, sicut solent latrones comprehensi
in custodiis cum impetu intrudi: et cum clavibus abierunt, nos
sic captivos relinquentes in carcere delectabilissimo, lucidissimo
et spatioseissimo, in horto pretiosissimi sepulchri Christi, sub
monte Calvariae, in medio mundi. O quam jocunda captivitas!
quam desiderabilis clausura! quam delectabilis incarceratio!
quam dulcis inclusio! qua Christianus clauditur et captivatur
in sepulchro Domini sui.

Quomodo peregrini habuerunt se, quando primo fuerunt
ecclesiam ingressi, et quid accidit F. F. F. in prima
peregrinatione sua.

Eia fratres mei initium sumere me cogit veritas ab incu-
ria mea stolida et irreverentia (**B**) quadam dolorosa, pro qua
precor vos Deum interpellare pro me, ne in finem reservet
mala mea. Huiuscemodi autem res mihi accidit misero in
prima mea peregrinatione. Cum in ecclesia essemus clausi et
neminem jam timeremus, quia nullus paganus nobiscum erat,
incepimus laetantes per ecclesiam discurrere, quaerentes loca
sancta sine ordine, et ferebatur unusquisque ad impulsu sui

